



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm

Barry, Paul de

Monachii, 1650

Capvt. I. De admirando amore, quo Deus S. Iosephvm præ reliquis Sanctis omnibus, post Iesvm & Mariam, honestavit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)



ALIMENTA PIETATIS

ERGA

S. JOSEPHVM

IESV CHRISTI NVTRITIVM

POST

JESVM ET MARIAM

DIVORVM AMABILISSIMVM.

CAPVT I.

*De admirando amore, quo DEVS S. IO-
SEPHVM pra reliquis Sanctis omnibus,
post IESVM & MARIAM,
honestavit.*

VT ÆTERNVM seu pictorem
seu sculptorem illum Deus
& melior fama fortunet, qui-
cunque primus S. IOSEPHI di-
gitis lilium inseruit! Floribus enim vis
quædam amabilis & nescio quæ illece-
bra subest, vt honoris, & boni ominis
plena

plena illorum nomina, menses, & aspectus habeantur. Florentia, quæ est Hetruriæ metropolis, gloriatur, se à copiâ florum, qui in Elysijs illorum viretis rident, nomen traxisse. Insula Rhodus, à rosis illic passim nascentibus nomen sortita, ideo sibi applaudit, velut ipsa quoq; instar vernæ rosæ gratiosa promicaret. Nemo ignorat Susan regiam Assueri Regis ciuitatem vniuersis se vrbibus toto Orbe visendis antetulisse, quòd nomenclaturam suam à Lilio deriuaret, à quo præ cæteris venustior meruit liliorum Ciuitas vocari. Omnes, etiam SS. Scripturæ interpretes obseruant, oppidum Nazareth Florentis nomine gaudere, quòd domicilium IESV, MARTÆ verò & IOSEPHI natale solum fuisset: qui flores in Ecclesiæ viridario sunt omnium omnino pulcherrimi. Adhæc omnia uo nomina, occursum, intuitusque florum in felicis augurij partem sumpta sunt. Olim Romanis aduersus hostes proelium inuitis, clemens ventus in Romani militis

cly-

clypeos & galeas magnam vim lilio-
 rum, rosarum, violarum, Narcissorum,
 iridum aliorumque florum ex adsito
 prato efflauit: unde nihil dubitarunt,
 quin hoc victoriae praesagium, & ini-
 tium felicitatis esset. *a* Quo tempore
 ad Echinades insulas fuit cum Turca-
 rum classe Christianis copijs confi-
 gendum, in foro Veneto rosae aequè re-
 centes ac viuidae, etsi tunc October es-
 set, vendebantur, atque si Maius aut
 Aprilis fuisset: atque inde non dubia
 victoriae aduersus Turcas obtinenda
 argumenta capiebantur.

Ergone tanto in pretio ac oblecta-
 tione flores habentur? ergone tanto
 pere horum aspectus & singulares do-
 res obseruantur? Et ego igitur id ipsum
 agam; proin' etiamnum repeto: aeter-
 num Deus & fama illi faueat, quisquis
 S. Iosephi manibus primò lilium attri-
 buit! Hoc est sanè, nihil dicendo nihil
 non dicere, & praecleara incomparabi-
 lis Diui merita penicillo nobis eloqui.

Sii

a Plut. in Sylla.

Si pretium præstantiamque lilij fueris
affecutus, eminentes etiam admiran-
dasque S. Iosephi perfectiones, & im-
primis summum ac incredibilem DEI
in eundem amorem intelliges.

LILIVM itaque decus areolarum &
& hortorum voluptas est: hæc aliqua
venustatis portio est, quæ intuentium
oculos & amores rapit. Sunt utique
Ecclesie Militanti lilia sua, ut & Trium-
phanti: *Floribus Cæli neque rose, neque lilia
desunt; a* sed S. IOSEPHVS vnum ex his
est longè pulcherrimum, è meliori arcæ
delectuque liliorum; quando Sponsa
non alio accumbere loco quàm inter
lilia cupit; quæ prima merentur post
Sponsum vocari: *Dilectus meus mihi,
& ego illi, qui pascitur inter lilia. b* IESVS,
MARIA, IOSEPH, sunt illa præclara li-
lia, quæ huic liliorum conuiuio inter-
sunt, tria Cæli ac terræ decora, & Or-
bis vniuersi amores.

Lilium flos est inter omnes flores
odoriferos caule sitūque maximè ere-
cto

a August. Serm. i. de Sanctis.

b Cant. 2.

cto ac sublimi, quorum alia ad tres cubitos exsurgunt. ^a Cuperem equidem experiri, si S. IOSEPHVS vnâ manû IESVM, alterâ MARIAM sustineret, num quisquam esset futurus, qui auderet alteri supremum locum quàm ipsi deferre. Excellentia, sanctitas, & caelestia dona non aliter in domo Dei conferuntur, quàm dignitatis ac ministerij, quod quisque obit, habitâ ratione: quem ordinem dignitatis in Deo Homine IESV, in Matre Dei Hominis MARIA, & S. IOSEPHO huius Nutritio alterius Sponso inchoatum videmus. Quaso te, quem alium voluisses illi praeponere? Audi S. Thomam illud virtutis ac Sapientiae miraculum: ^b & tum sententiam feres, S. IOSEPHVM inter caelestia lilia supremum & post IESVM & MARIAM sanctissimum esse: *Et fuit excellentior, quò ad altiore[m] ordinem pertinuit.*

Lilium flos est amoris, amoris fun-

B do

^a Dalechamp. in Herbario.

^b z. p. & Suarez ibid.

do, hoc est, cordi innixus; quandoquidem eius radix & bulbus cordis figuram tenet. Hoc ipsum planè S. Iosepho congruit, qui post IESVM & MARIAM omnium amantissimus & amabilissimus habetur, cuius omnes eximia dotes ac excellentiæ sunt è Corde Numinis enatæ, qui eundem voluit inter præcipuos aulae suæ magnates numerare. Hæc obiter attigisse modò sufficiat: non ita multò post alia se mihi occasio offeret, quâ utar ad amorem, unde tot sui amandi illecebras atque causas habuit, pluribus explicandum.

Porro in præsens omnium rationum loco dicamus, præclarè factum esse, quòd nobis collocato intra manus eius lilio repræsentetur; & S. Iosephum eo habitu excellentium meritorum, quibus præditus est, nobis indicium facere. Illud tamen addamus, neque has cogitationes sufficere: hoc enim liliam animos nostros ad maxima diuini amoris in hunc Diuum miracula erigere, ac docere nos debet, istud.

istud liliū in amoris negotio prodigi-
 osum esse; cū liliū sit flos amo-
 ris; ac totidem sint miracula diuiniq̄ue
 amoris rariora prodigia suis locis insi-
 nuata, quot folijs liliū discrimina-
 tur. Margarita Regina Nauarræ pro
 Symbolo liliū coronatum sibi adsci-
 uit, vnde binæ gemmæ pretiosissimæ
 cum hoc lemmate pendebant: *Miran-
 dum naturæ opus*. Bonâ illius veniâ hoc
 ei emblema subducam, S. IOSEPHO affi-
 gendum: Ipse præstans hoc liliū est,
 miraculum non naturæ, sed gratiæ:
Mirandum gratiæ opus. Ex quo suo mo-
 do quondam gemmæ rarissimæ IESVS
 & MARIA pendebant, è quibus alte-
 rius nutritius, huius verò maritus fuit:
 qui profectò dici potest coronam pro-
 meruisse; quando inter omnia Eccle-
 siæ Militantis & Triumphantis aræ in-
 nata Maria in Dei amore primas tulit.
 Nemo tam temerarius est, qui hanc eū
 coronam, hunc diuini amoris trium-
 phum audeat post Filium & Matrem
 Sponsam eius infringere: cū publicè

constet, quantum in sancti amoris triumpho ius ac locum teneat. An non eius gratiâ dictum est, quod Vates Regius Psalmum 44. his vocibus inscripserit: *Triumphus pro lilijs*, aut vt alia versio habet, *Triumphus per lilia*? quandoquidem epigraphæ illa reliquis duobus lilijs IESV & MARIÆ tribuitur, in quorum comitatu semper IOSEPHVS est, aliunde miraculis illustre lilium. Mihi dubium non est, quin triumphus ille ad ipsum quoque pertineat, & amor ille, quo Deus illum affecit, cæteros omnes Diuos triumphet, quos vniuersos amoris diuini in se fauoribus, priuilegijs & monumentis longè antecedit. Neque difficile mihi ac operosum erit, dubitanti hac in re fidem adstruere: neque aliud agam, quàm vt hoc lilium depromam, ac eius folia, hoc est, miros Dei S. IOSEPHVM amantis fructus & miracula explicem.

Lilium ergo sex omnino in folia seaperit: & quoniam S. IOSEPHVS admirandum hoc lilium est & peculiaribus

Dei

Dei beneficijs in se deriuatis omnes Sanctos antecedit; hunc numerum tenebo, ad cuius mensuram totidem in illo singularia dona, nulli alteri concessa, reperio. Atque illa tantò studiosius euoluo, quòd totidem sint admirandi amoris documenta, quibus Deus illum post IESVM & MARIAM exornauit. Cæterùm dum hunc diuinarum immunitatum, rariq̃ue muneris Senarium expono, nemo à me alium apparatus dicendi exspectet, quàm simplici oratione vnum me alteri subiunctorum: res enim ex se raræ suo pretio sunt satis illustres, neque verborum alteriusue splendoris ambitum illas mutuari necesse est. Nulla bene à naturâ instructa species fucò vtitur: neque adamantes colore tingimus: & theca gemmaria cimmelijs plena splendorem secum in sinu circumfert, quæ vt niteat, aperiri tantùm non laudari debet: hæc omnia nitorem, elegantiam, fulgorem suum domi habent. Ita & hæc ornamenta, quæ tractabo, & folia

stupendi lilij, eorum exemplo sibi suffiunt.

PRIMUM igitur folium inspiciamus. Quis vnquam dici de filio audijt, quòd suum ipse sibi patrem elegerit? nemo vtique, dices: atqui hoc ipsum S. IOSEPHO euenit. Vt filius parentem suum seligat, dicatque, hunc patrem volo, non alium, res est summæ admirationis; neque à conditi orbis incubulis quidquam huic simile fuit auditum: percurrere omnes Regnorum historias & Orbis vniuersi Annales, nihil par huic prodigio reperies, quod vel paululum accedat. Vbi enim eramus futuri, si hæc optio potuisset in usu esse,? deformes, imperfectos, nauo quocunque laborantes nemo omnium acceptasset: neque quisquam alium sibi esse patrem voluisset, quàm cuius genus nobile, opes magnæ fuissent, quàm sapientem & omnibus numeris absolutum; vt, si quis tali ratione patris conditionem adijisset, iure tunc potuisset inter bonos haberi. Ad Filium

lium

lium Dei nos vertamus, qui iure Diuinitatis suæ, quæ ipsius ortum totâ æternitate antecessit, facultatem & otium habuit, de patre sibi prospiciendi, postquam certum illi ac decretum fuit, inter homines eum secernere. Credibile prorsus est, eum inter omnes mortales omnium perfectissimum, sanctissimum & integerrimum, ac talem selegisse, in quem rectè posset tam excellens dignitas conferri. Terræ aliquis vermiculus, mei similis, splendore generis & cultu insignem exoptasset, si occasio ei se obtulisset: at Dei Filius, qui æquus rerum æstimator est, & iusta illarum pretia mentiumque arcana penetrat, qui probè intellexit, quid in IOSEPHO haberet, num alium habere, quàm illum ipsum patrem voluit? hoc sanè fuisset aliquantum etiam infra nos sapere. Sed hunc admisit, hunc voluit, hunc omnibus alijs antetulit: quo testatum fecit, enim se præ cæteris omnibus amare; quando illum, eoque dilexit, vt patris sui partes & munus illi committeret.

Gradum faciamus; alia se nobis miracula offerunt. Vidisti patrem à Filio electum; nunc tu mihi hominem vides, qui Deum filium suum appellat, & quod sequitur, eiusdem pater est. Prodigium inauditum! quis vnquam somniasset, homini tantum animi futurum, vt Filio Dei dicere auderet: tu es filius meus? & quisquam ad dignitatem illam perueniret, vt parentis cognatione ad Verbum carne vestitū referretur, genere necessitudinis illi non ab simili, quæ inter Patrem æternum & Verbum increatum intercedit, adeò vt Deo Patri supplex dicere possit: Deus, qui Pater IESV es, mecum parentis iura diuide; tu patris honorem in cælis serua, ego patris appellationem in terris tuebor? In hac tanti prodigij consideratione me ipsum non capio, neque satis admirari altissimum S. IOSEPHI fastigium possam, si vt IESV CHRISTI patrem considero. Fuit omnino IESVS filius eius, non equidem naturæ beneficio, sed legis gratiâ, quæ ius in IESVM

illi

illi eo etiam nomine indulgit, quod in
 castissimo Virginis Matris utero esset
 IESVS efformatus: ex illâ enim carne
 natus est, quæ ad ipsum spectabat, quæ
 que matrimonij iure in illius potestate
 erat. Hoc disertè Lex asserit: *a Quod
 in alieno solo nascitur, vel edificatur, sub
 illius dominium cadit, cuius est solum.*
 Et hæc vna causa sufficeret, cur verè
 patris nomen mereretur: quamobrem
 ipsa Dei Mater & Sponsa eius, cuius
 causa potissimùm tunc agebatur, hoc
 ei nomen tribuit: *Pater tuus & ego do-*
lentes quarebamus te. *b* tunc scilicet,
 cum triduo amissum Filium in templo
 repererunt. At non eâ tantùm ratio-
 ne IESV Pater IOSEPHVS fuit, quòd no-
 men & eam cognationem, de quâ dixi,
 esset adeptus; sed & ideo, quia reuerà
 nihil illi deerat, quod Patris conditio-
 nem decebat: habuit enim illius cu-
 ram, summum in eum amorem, apud
 eundem patris auctoritatem, vt S. Io-

B 5

annes

a Instit. de rerum diuisione, quòd in solo

b Luc. 2.

Iohannes Damascenus ait, *a* & quidquid
 patri, extra veram filij procreationem,
 potest conuenire. Deus Pater videli-
 cet suas ei vices & amorem reliquit, vt
 in terris hoc IESV esset, quod ipse Ver-
 bo æterno in cælis est: ita Rupertus
 Abbas loquitur: *b* Paternum Deus Pa-
 ter viro MARIE pro Filio infudit amorem.
 Atque ita S. IOSEPHVS particeps om-
 nium illarum dignitatum fuit, quæ ob-
 tingere cuiquam possint. Quod si Deus
 destinasset ad supremum sui amoris
 fastigium hominem euehere, eumque
 quàm posset maximis honoribus affi-
 cere, quid facere maius queat, quàm
 Filij sui patrem constituere? Tacebo
 porrò, & verbum de hoc argumento
 non addam, nisi hoc vnum, nihil tam
 rarum & insolitum esse, quàm à Patre,
 qui sit homo nostri similis, Deum Fi-
 lium appellari, neq; tantùm appellari,
 sed re ipsâ quadam ratione talem esse.

Tertium prodigium est, hominem

Dei

a Orat. 3. de Natiuit. B. Virg.

b In Matth.

Dei Matris Sponsum dici. Si miracula
omnia dignitatum paucis complecti
volumus, quibus Dei Mater fuit hone-
stata, verbo dicimus: *De qua natus est*
IESVS; *a* paucis verbis omnia dicturi.
Similiter asserere, hominem eam felici-
tate donatum, ut potuerit Dei Matris
maritus esse, est, rem omnium maximè
admiratione dignam affirmasse, cui
par superaddi non possit: *Dicis illum*
virum MARIE; *hoc est prorsus ineffabile,*
& nihil præterea dici potest, *b* ait S. Io-
annes Damascenus: & ob id maximè,
quòd Deus illis donis eum ornarit,
quæ tam excellentem eius conditio-
nem decebant, dignas taliq̃ue Sponsæ
congruas ipsi dotes conferendo. Cum
enim MARIA Sponsa illius gratiæ ma-
gnitudine homines & Angelos ultra
omnem modum antecederet; an non
æquum erat, ut JOSEPH Sponsus eius
proximè illi succederet, neue de
Sponsæ seruis, seu homines illi seu

B 6

Angeli

a Matth. 1. b Cant. 3. in Natiuit. B.
Virg.

Angeli essent, eum gratiæ, virtutum, sanctitatis, ac denique quouis bonorum genere atque præstantiâ vllus superaret; quando ipse Sponsus, Dominus, & caput Sponsæ fuit, ac proinde omnium honorum, fauorum ac dignitatum consortis communionem gauisus est; vt si Princeps illa fuit, etiam ipse Princeps esset: si hæc suprema Domina fuit, supremus ipse Dominus esset; si hæc fuit Regina, hic Rex esset? Deum bonum! quis vnquam in animum induxisset, dum MARIAM vt Matrem Dei veneramus, inueniri rationem posse, quâ Sponsus ei adiungeretur? In quem cadere tanta felicitas ac fors tam beata potuisset, quàm in eum, quem Deus præ cæteris mortalibus vniuersis arctissimo amore complectebatur? Felix es, IOSEPH, ac centies milliesque felix! quòd pro Sponsâ Dei Matrem nactus, quòd Dei summum in te amorem post IESVM & MARIAM sis consecutus.

PATREM simul & Virginem esse
aliud

aliud miraculum est S. IOSEPHI exi-
mijis felicitatibus adnumerandum, il-
lorum munerum pars aliqua, quæ nul-
li alteri fuere concessa. Coniuges vir-
ginitate illustres sat multi sunt; sed Pa-
ter Virgo præter S. IOSEPHVM Matris
Virginis Sponsum nemo est. Inter fe-
minas MARIA sola Virgo simul & Ma-
ter est; inter viros itidem solus IOSE-
PHVS Virginis decus cum Patris gloriâ
tuetur. Hæc prærogatiua duobus di-
uini amoris ocellis MARIE & IOSEPHO
seruabatur. Solenne videlicet est Deo,
illic sua beneficia collocare, vbi ipsius
amor diuertit.

Rem creatam sui Conditoris curam
habere, quinto miraculo accenseamus,
quod est vni IOSEPHO peculiare, qui
Pater-familias, nutritius, tutor & gu-
bernator Dei Hominis fuit. Quem
sensum putamus Angelorum fuisse,
quando eum, qui est in cælo & sinu Pa-
tris æterni, in sinu & brachijs IOSEPHI
viderunt; eum, qui gubernat omnia,
regi ab homine; qui res omnes à se

creatas alit ac procurat, ab illarum vnâ nutriri, & ab incolâ Nazarethano in tutelam suscipi? an non verbis illis admiratione plenis illum compellâssent, quibus in eundem ferè sensum olim S. Methodius Dei Matrem fuit allocutus? *O nutritie cuncta nutrientis! Aue IOSEPH! cuius Deus factus est indignus; euge! qui debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur: omnis enim creatura Deo debet; ille autem tibi debitor est.* Ita, inquam, Angeli dixissent. Aut nunquid exclamâssent, hunc omni exceptione maiorem IOSEPHVM, quem Deus omnibus bonis cumulauit, cui se tanto opere submitit, illi esse vnice charum, esse hominem Deo maximè gratiosum; utpote cuius curæ ac fidei IESVM Filium suum, hoc est, amorum suorum supremam illecebram commiserit.

Restat sextum miraculum vltimumque caput, quod celebrem ante alios charumque imprimis illi S. IOSEPHVM reddit, qui nihil amat nisi amore dignum. Quando itaque in creatâ Triade,

de,

de, post increatam prorsus augustâ & adorandâ, ipse quoque Personam agit; admirabili necessitudine ineffabilem diuinamque Trinitatem contingit. Aiunt liliu idcirco Augustissimæ Trinitatis symbolum esse, quòd in illo candidi coloris flore tria parua sceptrâ ex auro promineant, pari omnino odoris ac pulchritudinis gratiâ, ac omnia è floris medio enata: neque contingere lilio maior honor potuit, quam cum mysteriorum nostrorum omnium augustissimo conferri. Eadem honoris summi maximæque perfectio- nis accessio in S. IOSEPHO fit, ceu admirandi decoris ac præstantiæ lilio, quòd cum tribus hisce diuinis Personis Patre, Filio, & Spiritu sancto possit in comparationem venire, vt in Angelis posset inuidia suboriri, nisi omni reuerentiâ, quâ possunt, ea fastigia venerarentur, ad quæ Deus res à se creatas attollit. Pater æternus Increati Verbi Pater est; S. IOSEPHVS Verbi carnem induti: Filius generis humani

Ser-

Seruator est; S. IOSEPHVS et si Redemptor non sit, eius tamen redemptionis adiutor fuit; quandoquidem suas ipse curas, suum laborem ac sudorem ad vitam amantissimi Seruatoris sustentandam contulit: Spiritus sanctus MARIÆ Dei Matris Sponsus est; idem honor ad S. IOSEPHVM pertinet. Et quid magis possent SS. Angeli IOSEPHO inuidere? sed hac ambitione illi minimè laborant; neque pro illis triplex hoc sceptrum enatum est: norunt ipsi, hoc munus Dei ocello ac inter cælestis aulae Proceres supremo Principi deberi.

Post hæc miracula ita exposita foliaque lilij admirandi explicata nihil videtur aliud addendum, quàm laudes, quibus eos maectemus, qui S. IOSEPHI manus lilio illustrârunt: illis omnes cogitationes debeo, quas ad meritum eius maximam commendationem explicui. Hoc vnum ad absolvendam illorum ideam addi optâsem, VI S. IOSEPHVM totum lilijs obtegerent, non alio cultu, quàm veste polymita

Imitata his floribus respersâ visendum.
Olim vt pictor quidam Floram, quæ
florum Dea fuit habita, eo quo decet
ornatu ac omnigenâ venustate prædi-
tam penicillo efformaret, credidit,
non posse illam à se cultiorem prodi-
re, quàm si vestem illi omnino è flori-
bus contextam affingeret: quin carnis
etiam colores eodem textu induxit;
frontem enim rosis mixtim rubicanti-
bus distinxit; genas purpureis infecit;
mento vultuique reliquo candidi co-
loris rosas attribuit; narium sedem li-
lij nondum planè aperti calyx occupa-
bat; labra summa rosa extulit carnis
colorem imitata; oculi è violis Martijs
constabant, Tulipæ folijs inter se com-
missis; supercilia & palpebræ Apiariâ
candidissimi coloris erant vestitæ; tota
denique cyclas aureæ mali folijs fuit
elaborata, mille exquisitis floribus ad
Phrygiæ artis imitationem intertextis.
Vide nunc, quo cultu S. IOSEPHVM co-
mi ac repræsentari decuerit: scilicet
integendus vestiendusque meris flori-
bus

ibus erat, sed lilijs duntaxat, & omnium quidem colorum præstantissimorum varietate discretis: quorum alia sunt niuei coloris, veluti è terfi serici moschum redolentis materiâ candidi operis constarent; alia è flauo in aurum tincturam degenerant, diceres te tinnabula ex auro fabrefacta intueri; alia ex rubro candicant, vt crederes pyxidulam esse rubro serico vestitam; sunt alia viridi etiam colore visenda, vasculis è smaragdo similia. Porrò et si tum corporis ipsius natiuus color, tum floridum vestimenti textum fuerit ex eiusmodi lilijs maximo numero ac omnium colorum mixturâ conflatum; nondum tamen ad viuum SS. hunc Patriarcham repræsentabit, S. Bernardi verbis depictum: *Quot virtutes, tot lilia.* a Atque hoc esset viuis eum coloribus exprimere: eius enim virginei pudoris candor in candido lilio apparet, ingens eius fiducia & spes in viridi, amor maximus in rubro albicante, perfectio summa in aureo, ac omnes

ceteræ

a *Serm. 70. in Cant.*

cæteræ virtutes, quibus ex omni parte
resplendet, alijs atque alijs floribus si-
mul & coloribus agnoscerentur, vt es-
sent *tot virtutes, quot lilia*. Hic demum
aspectus adiutus illâ cognitione, quâ
prius omnes eius prærogatiuas inspe-
ximus, omnium maximè nobis persua-
deret, neque in cælis, nec in terrâ san-
ctiorem vllum Deoq; chariorem, post
IESVM & MARIAM, S. IOSEPHO esse.

CAPVT II.

*De admirandis amoris illecebris, quibus
DEVS post IESVM & MARIAM
S. IOSEPHVM præ cæteris omni-
bus Diuis amabilem red-
didit.*

ARIAS Montanus, rarū ac pretio-
sum antiquitatis monumentum,
in suo conclavi habuit, ab ijs, qui
illud inspexere, permagni æstimatū. a
Numisma fuit, quod Hebræi siclum
appel-

a P. Petrus Monodenses alliances de
France & de Sau.